22

Ducit in astra.
Hic frequētantes tua festa fratres
Vota promentes. bona te precantes
Adiuua serua refoue .guberna
Inclita mater
Sit decus virtus supero tonanti
Qui deus simplex pariterqꝫ trinus
Glorie magne tribuit coronam
Jugiter anne. Amen.

¶ Hymnus iste saphicus canit̄ sub melodia Vt queāt laxis. Vita sctōꝝ Virginis ples. Q chorus vatū Iste confessor. ꝛ similium qui saphici sunt tantū. Ex spanhem. Nonis Julij Anno dn̄i. M.cccc.xciiij.

Joannes tritthemij abbatis spanhemensis
Carmen elegiacum de sctā matre anna.

Premia quanta suis referat cultoribus anna
Nemo capit mente nec valet ore loqui
Aspera propellit. veniam impetrat. auget honoris
Ornamenta suis. et facit esse polo
Contra multa nimis comitantur acerba parentis
Anne spretores. prospice praue tibi
Proterit elatos. deponit honore potentes
Et sinit vt magna scandala sepe ferant
Hoc patet et fixum manet. anna colentibus offert
Leta. sed infensis tristia plura refert
Ergo viri moneo tante seruite patrone
Femineusqꝫ chorus assit amore simul
Constat et exemplis liquido quod scribimus. aures
Concipiat patule quod pia corda iuuat.
Ex spanhem. xvi. kalendas augusti. M.cccc.xciiij.

Carmen saphicū rutgeri siccan.bri
pro hymno in laudem sancte anne
Pangimus laudes veneranda tuas
Anna. laudantum modulis faueto
Impetrans cunctis veniam. salutis
Premia donans

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-ii-235/0043
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG